Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus theol. de actibus humanis - Cod. Ettenheim-Münster 302

[S.l.], 1697

Quaestio 9na

urn:nbn:de:bsz:31-131009

Visual Library

Quæstio 9na

Quid & quorum sit electio

Electio sec. rationem saltem posterior est consensu, à quo eam non semper valde differre communiter concedunt Theologi; etsi aliqui contra in compositis sentiant pro diversitate rerum. Illud constat inter ple-rosque tum electionem tamen ratione à consensu differre, quod inter multa media voluntati proposita unum placet, & acceptatur ad assecutionem finis; hoc n. casu acceptatio illa, quatenus est praecise complacentia voluntatis de medio illo dicitur consensus; quatenus autem eadem acceptatio est praelectio unius medii prae aliis neglectis dicitur electio. Ex quo simul apparet, quod ut volitio efficax alicuius medii dicatur electio, necesse sit ut plura media se offerant ad finem efficacia praeintentum utilia: nam ubi unicum tamen medium adest, & illud voluntas acceptat, eius acceptatio sive volitio huius medii non dicitur proprie electio, sed est tamen consensus; atque adeo non semper quoties operatur propter finem eiusdem, concurrit formalis electio.
Sed de formali electione sequentia potissimum intelligenda sunt.

Conclusio 1ma electio formalis est actus elicitus à voluntate S. Th. a. 1. & Aristoteles 3. Eth. 3. ratione.
Etsi n. intellectu judicemus aliquod medium vel simpliciter utile esse, vel comparative aliis medijs utilius esse, id tamen non dicimur proprie eligere, quod illud volumus & voluntate complectimur; quemadmodum vere princeps aliquis confert quidem suis consiliariis examinandi munus, attamen ipse tamen examinatum, diligenterque inventum eligit.

Confirmatur. bonitas et pravitas actuum humanorum maxime ex parte in electione sita est, et morales virtutes in [illegible] exercentur electionibus, ergo signum est electionem formaliter non ad actus, sed ad voluntatem pertinere.

Conclusio 2da. Non finis sed tantum media sunt obiectum quod terminativum actus electionis. S. Th. a. 3. Ratio est: licet electio finem respiciat, ut formalem rationem suam motivam sub qua, finem tamen ipsum non eligimus, quia finis est, sed intendimus, ergo media tantum propter ipsum eligimus; atque ita sub obiectum terminativum electionis non cadit bonitas honesta, et propter se appetibilis, sed tantum bonitas utilis et appetibilis propter aliud. Quandoque autem contingit, ut sint plures fines inter se subordinati, et tunc potest esse electio de fine intermedio prout respicit superiorem, quia sic finis induit rationem medii, et hoc modo potest versari electio circa finem, non formaliter sed materialiter; nam idem finis retinet rationem finis si comparetur, vel ad alios fines inferiores, vel certe ad media ad ipsum utilia, et eatenus non potest eligi, sed intendi. Sed de hoc plura infra qu. 12

Conclusio 3tia. nihil potest habere rationem medii, ac consequenter nihil potest a nobis eligi, nisi sit vel nostra personalis operatio elicita aut imperata, aut a tali operatione quomodolibet dependens,

ut ē ā° libera, quod interventu nro prævio industriæ aliquomodo procedit à nobis, & ab arbitrio nro. S. Tho. a3. Artes 9. Eth. 2. Ratio ē catenus intendimus finem, quatenus ipsum nro labore & studio consequi possumus; ergo ea quæ eligimus catenus eligimus, quatenus ē in nris operationib. sita sunt & ab illis quoque non dependent; quare quidquid eligimus, oportet ut immediate vel mediate à nobis proveniat, ubi si v.g. intentam liberationem amici ex carcere, & ceterea apud judicem preces meas deponam, velut medium utile, quo judex moveatur ut amicum ex carcere dimittat, in hoc casu ad intentam amici liberationem non tantum preces adhibeo ut medium, sed etiam operationem judicis à meis precibus, ut à causa morali dependentem.

Conclusio 2da. non cadit sub electionem id, quod intellectui apparet, aut impossibile in se, aut saltem nobis saltem impossibile. S. Th. a. 5. Ratio ē: nihil eligitur nisi ut medium utile ad finem consequendum, sed impossibile non ē tale medium, ergo eligi non potest.

Objicitur S. Ths. docet actum electionis esse eiusdem materialiter cum voluntate, formaliter tamen ab intellectu, ergo electio non ē actus voluntatis saltem solius q. 13. ar. 1. R. Electio pertinet ad intellectum formaliter, non quod intellectus formaliter & intrinsecè sit actus electionis, sed quod intellectus formaliter moveat proponendo obiectum specificum voluntati.

Obijcitur 2do. eiusdem potentiae est syllogizare & concludere
atqui solius intellectus est syllogizare, ergo et concludere; ergo cum
electio sit quaedam conclusio operabilium solius rationis erit eligere.

R. dist. Ma. eiusdem potentiae est syllogizare & concludere
sententialiter conc. Electiue neg.: nam ratio discurrendo et
judicando concludit ex aliquo fundamento, quae conclusio
sententia, seu judicium dicitur, quod intellectus profert de re facienda;
voluntas vero consentiendo eligit. Q. 10. utrum homo ex
necessitate eligat media ad finem praeintentum.

Quaestio 10ma

Vtrum homo ex necessitate eligat media ad finem prae= intentum.

Conclusio 1ma. Omnis humana electio proprie dicta est libera
quoad exercitium. Ita omnes catholici. Ratio est: libertas arbitrij
ipsa experientia teste, si usquam relucet, tunc relucet in electione
mediorum, id quod clarius patebit ex mox dicendis.

Conclusio 2da. electio non est libera quoad specificationem
Ita communior cum S. Tho. h. [illegible] [illegible] Eule. 151.